



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Et Brevis Declaratio Viæ Spiritvalis

Palma, Luis de la

Antverpiae, 1637

Instructio & declaratio circa examen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50934)

QUARTVM. *Poscere veniam de delictis.*

QVINTVM. *Proponere cum Dei gratiã emendationem; & Orationem Dominicam post dicta omnia recitare. Pater noster, &c.*

De examine generali.

EXamen generale est Exercitium tanti momenti, vt vix aliud reperias, quod dæmonis conatibus & tentationibus maius ponat obstaculum, nisi fortè idem sit de examine particulari, propter easdem rationes; atque ita omni studio laborandum est, vt illud rectè fiat.

Fines & fructus huius Exercitij sunt duo illi qui titulo illius comprehenduntur. *Ad purgationem anime, & ad peccatorum confessionem utilissimum.* Puritas acquiritur tribus mediis. Primò, Cognitione radicis interioris vitiorum, vt eam præscindamus. Secundò, Ex-
teriores

teriores lapsus occasiones notando, vt eas remoueamus. Tertiò, Dolore & odio peccatorum; vnde nascitur propositum & cura ea emendandi.

Omnia illa per examen acquiruntur.

1. Radix vitiosa deprehenditur, notando in quæ peccata magis ordinariè & frequentius labamur; quod is qui se non examinat scire non potest. Velut is qui ordinariè à domo suâ abest, scire nequit quid ibi rerum agatur, nec qui ibi committantur, & vnde illi proueniant defectus.

2. Examine hoc in notitiam venimus occasionum externarum, vt eas fugiamus. Velut is qui in saxum aliquod impingens cadit; si non reflectat, nec lapsus istius causam consideret, vix aliàs tales incurfus effugiet, & frequentius cadat necesse est: sic qui per examen hoc ad occasiones defectuum & peccatorum non reflectit, quomodo eas deserere, & ab iis sibi cauere poterit: haud dubiè frequentius in eadem relabetur.

E 3

3. Do-

3. Dolor, & emendationis propositum ad quartum & quintum examinis Punctum pertinent.

Secundus finis est *Peccatorum Confessio*. Quæ vt utiliter fiat, debet esse clara, integra, & cum dolore & emendationis proposito fieri debet. Ad integritatem multum iuuat tertium Punctum examinis: qui enim in eo peccata illo die commissa in memoriam reuocare studet, facile eorum Confessionis tempore recordabitur. Et quamuis non sit obligatio confitendi venialia; quia tamen illa propter maiorem animæ puritatem confitemur, æquum est, vt eadem etiam, propter eandem causam, & spiritualem nostrum profectum, quotidie examinemus. Quod si ita non fiat, contingit, vt Confessionem instituamus solis verbis, & modis dicendi tam generalibus, vt commisceamus frequenter grauiores culpas leuioribus, & iis etiam quæ culpâ vacant: & hinc prouenit, quod tamen si culpa maior vel minor, aut etiam nulla sit,

fit,

fit, confessio tamen sit eadem, iisdem-
que verbis speciosis, & tamquam im-
pressis, prolata. Quæ omnia decla-
rant, quòd examen cum exiguâ luce
rerumque notitiâ, & in genere etiam
eâdem, & non maiori confusione fa-
ctum sit.

Alium etiam defectum, eumque
grauem, solent habere confessiones,
dum nempe cum exiguâ contritione,
hoc est absque dolore & emendationis
proposito, fiunt: cui occurritur, si sol-
licitè & benè seruentur duo postrema
Puncta examinis.

MEDITATIO

DE PECCATIS.

HOc die fiet Meditatio de pecca-
tis, vt quis ea cognoscat, & fu-
giat. Et innititur hæc Meditatio qua-
tuor Punctis fundamenti: exempli
causâ, capiendo pro regulâ vltimum
finem, propter quem reliquæ omnes
creaturæ, & nos creati sumus; tum no-
tando,